

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 703

**Auteur(s) :** Henri de Saint-Léger, Le Bec-Hellouin, Notre-Dame (abbaye, abbé)

**Bénéficiaire(s) :** Le Tréport, Saint-Michel (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1229, juin

**Action juridique :** échange

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Échange de terres entre l'abbaye du Bec et celle du Tréport

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° CXLVI, p. 165-166.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus, ad quos presens scriptum pervenerit, H[enricus], Dei gratia abbas de Becco, et ejusdem loci conventus, salutem in Domino. Ad notitiam universitatis vestre volumus pervenire quod nos, de communi assensu et singulorum voluntate, tradidimus et concessimus viris religiosis abbati et conventui de Ulteriori Portu, ad firmam perpetuam de nobis tenendum et, sine alicujus reclamatione, bene et fideliter in perpetuum possidendum, pensata utilitate utriusque monasterii et certius intellecta, quicquid habebamus apud Monasteriolum, juxta Sanctum Victorem in Caletō, in decimis cum omnibus aliis rebus, preter advocationem ecclesie, que in perpetuum nobis remanebit ; simili modo, tradidimus eisdem quicquid habebamus apud Bordaniā, infra parrochiam Sancti Petri in Valle, in comitatu Augi, tam in terris quam in hominibus, redditibus et aliis rebus integre nobis spectantibus : que omnia predicta dicti abbas et conventus de Ulteriori Portu in perpetuum de nobis tenebunt libere et quiete et pacifice, sicut nos unquam liberius ac quietius tenuimus et possedimus. Et pro hac firma dicti abbas et conventus de Ulteriori Portu tradiderunt et concederunt nobis, ad firmam perpetuam, quicquid habebant apud Burgum Turoldi, tam in decimis quam redditibus, terris, hominibus, pensione ecclesie et omnibus aliis rebus : que omnia de eis tenebimus in eadem libertate per omnia, quam alia predicta que eis tradidimus de nobis tenebunt. Et ne de cetero aliquo malignitatis stimulo predicta firma valeat infirmari, eam presenti scripto sigillorum nostrorum munimine roborato, de assensu et voluntate venerabilis patris Theobaldi, Rothomagensis archiepiscopi, bona fide duximus roborandam. Actum anno Domini M°. CC°. XX°. IX°, mense junio.